

1560 teterimæ pestis vis non pervasisset? in qua tamen furtum illius semina a pravis hominibus veluti per cuniculos ita jacentur, ut nemo esset, qui gravissimis, ingentibusque foliitudinibus non angeretur. Neque vero ullum, nisi a communi Synodo remedium petendum videbatur. Quapropter Senatus cum reipublicæ christianæ vulnera Pontifici sàpius per oratorem suum patefaceret, cunctatione utendum non esse suadebat: *Gravi morbo Galliæ regno laboranti hoc uno opitulari tantum posse; providendum ne mora tabifcio veneno saniores quoque partes inficerentur: verendum ne insanientis populi fluctibus ii, qui regni gubernacula tenerent, abriperentur: id si acciderit, non opis ferenda, sed inane tantum pœnitendi tempus fore: id potissimum moliretur; in id curas, cogitationesque conferret, ut Concilium quamprimum indiceretur, cuius auctoritate, divino adspirante Numine, dissipatae in vulgus, atque arreptæ a popularibus hominibus adversæ prisæ religioni sententiæ discuterentur, atque excinderentur.* Itaque Pius Concilii prosequendi diploma fieri mandavit, illudque ad Senatum misit: per Joannem Delphinum legatum cum Ferdinando Imperatore egit, ut communi consilio Tridenti Synodus cogeretur, quo Germani, Galli, atque Itali facile convenire possent.

Pii Pon-  
tifex Con-  
ciliis diplo-  
ma fieri  
mandat, &  
ad Senatū  
mittit.

Pii Ponti-  
ficiis cù Fer-  
dinando  
Cæsare offi-  
cium de Cō-  
cilio conve-  
cendo.

Emanuel  
Philibertus  
Venetos ad  
fædus secessus  
ineundum  
hortatur.

Inter ea vero quæ difficillimis in rebus, ac temporibus Pontificis ante oculos obversabantur, Geneva, confluentum perditorum hominum receptus, erat; quo ex oppido, veluti ex omnium errorum officina, teterima pestis in omnes Europæ provincias dispergebatur. Ea urbs cum olim in Allobrogum Ducum potestate esset, quo tempore Franciscus adversus Sabaudum bellum movit, excusso suorum Principum jugo, propriis legibus uti cooperat. Emanuel vero Philibertus, avito imperio sibi restituto, ad eam recuperandam animum adjecerat; atque consilio Pio Pontifici Maximo communicato, ad se illius voluntatem, atque auctoritatem eo facilius attraxerat, quod incolas, in vallibus illi subjectis tumultuantes, atque ad novandam religionem propensos, summa virtute represserat, incendiumque cuncta depascens restinxerat. Ejus vero rei summa felicitate confectæ Senatum certiorem fecerat; mox, intimioribus communicatis consiliis, ad fœdus

se-